



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quòd in nummis & picturis precantis effffigie se insculpo fecit. Cap. XV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

Christianorum inquam de quibus omnis est à me suscepta, oratio cum audiam etiam Persidis potissimam partem, quod mihi sane est gratissimum exornasse: quanta me putas perfundi voluptate.

*Cohortationes ut Christianos suos complectatur.*

CAP. XIII.

**T**ecum igitur præclarissime agitur: & cum illis etiam: quoniam utriusque vestrum hæc felicitas communis est. Isto enim modo Deum huius universitatis Dominum, & parentem propitium & placatum habebis. Hos igitur, quoniam hac dignitate es, tuæ fidei commendo: hos eodem propter insignem tuam pietatem tibi in manus trado. Hos, ut decet humanitatem tuam, complectere & amare. Sic enim & tibi & nobis ista tua fide immensum beneficium præstabis.

*Quod assiduis Constantini precibus pax Christianis data sit.*

CAP. XIII.

**I**ta igitur universo orbe sub unius gubernatoris prudentia constituto, eodemque complectente serui Dei instituta & leges: cum nulla cuiusquam temeritate Romanum imperium turbaretur: stabilem & quietam vitam omnes mortales traducebāt. Imperator vero cum existimaret piorum hominum preces magnum sibi momentum afferre ad salutem & custodiam universæ Reipublicæ, eas cum necessario adhibuisset: non solum ipse se Deo supplicem abiecit: verum etiam ut pro se ab ecclesiæ præsidibus supplicaretur, mandavit.

*Quod in nummis & picturis precantis effigie se insculpi fecit.*

CAP. XV.

**Q**uanta vero fidei vis diuino quodam instinctu in eius animo defixa fuit: vel ex eo intelligi potest: quod in aureis nummis imaginem ita insculpi curavit: ut panfis manibus instar precantis cælum contueri videretur.

Quod genus nummi hac effigie sculpti per omnes Romani imperij gentes volitabat. Jam in ipsis regiis per quasdam ianuas in tabellis, quæ summis vestibulorum partibus affixæ erant, erecto statu pingebatur: sursum in cælum contemplanus, & precantis forma manus sursum tollens.

*Quod*